



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Cura Salvtis, Sivæ De Statu Vitæ Mature ac Prudenter  
Deliberandi Methodus**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniae, 1716**

**VD18 13912755**

Quæ Religio præeligenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50144](#)

ribus. Quis Ordo DEO charior, & mundo utilior? se dicebat attendere. Mortificatio interior est exteriore melior; quanquam nec à mortificatione sit desumenda Ordinis perfectio, sed à Charitate in DEUM & proximum; quæ ipsa plurimas secum fert mortifications.

Ad 6 S. Ignatium dicebat legisse omnium Ordinum Regulas, & iis visis, quod optimum judicabat, selegisse; esse omnia tum à Pontificibus, tum à Concilio Tridentino laudata.

### Quæ Religio præeligenda.

1. **M**ulti facilè se determinant ad statum Religiosum, in hoc solum dubii, quam eligere tutò debeant. Pro quo lumine ulterius DEI voluntas precibus & piis operibus exquirenda.

2. Cæteris paribus eligenda est Religio, quæ est perfectior, nam in omnibus quod optimum censemus, eligimus.

3. Perfectio Religionis non est in majori externo rigore, S. Thomas 2. 2. q. 1, a. 6. ait: perfectissimam esse mixtam, quæ activam vitam jungit contemplativæ.

4. Non eligenda, quæ in se sit perfectissima, sed quæ deliberantis naturæ, talentis, qualitatibus est optima, in qua talen-

talenta naturæ, & dona gratiæ utilius  
impendi possunt.

5. Vide, quæ Religio sit DEO gratiæ  
ubi possint fieri plura bona? ubi occasio  
actionum heroicarum, & laborum insi-  
gnium pro gloria DEI præstandorum?  
quæ vitæ Christi conformior?

6. Non attendendum, ubi fit vius  
lautior, splendidior amictus, major vi-  
vendi commoditas. Nam si bonus Reli-  
giōsus esse vis, hæc in postremis habe-  
bis; nec majores commoditates appetes,  
quam fortem in sæculo habuisses.

7. Nec ideò amplectenda Religio,  
quod eam Parentes, aut Cognati sua-  
deant, nisi idem etiam DEUS suadeat?  
qui propter hominem quemcunque in-  
trat Religionem, graviter errat, & ab ho-  
mīne, non à DEO præmium expectet.

8. Ingredi velle Religionem spe pro-  
motionis securitæ, vel appetitu majo-  
ris libertatis, vanitas est. Ingredi, ut  
sine tua cura vivas, est panem, non Chri-  
stum, quærere.

9. Vide, in qua Religione sit major  
votorum Religiosorum observantia.  
Paupertas ibi est major, ubi magis abest  
proprietas, & usus pecuniæ in priva-  
to Religioso. Castitas floret, ubi absunt  
co-

comessationes, otium, liberior cum extensis sine teste conversatio. Viget magis obedientia, ubi desunt exemptiones privilegia, &c.

10. Attende, ubi major compositio, & modestia, & mortum gravitas? ubi major superiorum vigilantia? vel ubi boni magni fiant; & mali contemnatur, aut etiam repellantur? ubi pauciora scandala & mala exempla?

11. Ubi magis exulet ambitio, quae maximorum dissidiorum est mater?

12. Ubi vigeat major unio & concordia? *Ubi enim pax, ibi Deus.* Non quaecunque autem pax, sed in dilectione DEI fundata, alias Nahum. I. *Sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potentium.*

13. Ordinis antiquitas, vel novitas ad ejusdem sanctitatem parum faciunt. Observa quomodo nunc quævis ferveat in observatione Regulari?

14. In qua Religione sperare possis majorem à Confratribus tuis charitatem, plura pro animæ tuæ refrigerio sacra, vel preces?

15. Eadem appetenda, in quam sperare possis admissionem; nec tamen

esto pusillanimis. Si DEUS dedit velle,  
dabit & perficere. Tenta, te insinua.

16. Illud etiam attendere poterit;  
quæ Religio inter homines magis æsti-  
metur? quæ universaliter toti mundo  
utilior? ubi tu secundum tuorum ta-  
lentorum mensuram plus boni te factu-  
rum sperare possis; adeoque plura apud  
DEUM pro æternitate merita colligere  
valeas? hanc crede tibi à DEO præ re-  
liquis esse destinatam.

17. Dum has considerationes facis,  
illud præprimis attende, ne vel à no-  
titia vel affectu Religiosorum te duci si-  
nas, sed rationes bene pondera, quid  
tibi expediatur?

### An consultum sit suadere alicui Religionem?

1. **S**unt Religiones, quæ priusquam pe-  
tentem admittant, ex eo quærunt,  
an ab aliquo sit persuasus? & si affirma-  
tivè respondeat, ejus admissionem dif-  
ferunt, ut rem magis examinet, accum  
DEO conferat.

2. Si locutio hominis, solum sit in-  
strumentum, quo DEUS utitur ad ali-  
quem vocandum ad Religionem, tum  
vocatio est à DEO, & secure potest dari  
ex.